B. N. C
FIRENZE
1034
8

1034 8

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1054
8

~~VIII~~ IX
FVI. G.

1034 . 3

AI 9

LVDOVICI
FVLGINEI

ORATIO PRO INCITANDA iuuentute ad ſtudia literarum.

HABITA PATAVII IN CATHEDRALI Eccleſia prid. K. Nouemb. M D LXIX.



PATAVII.

Laurentius Paſquatus Excudebat. 1569.

1872

1034.8

ZACHARIÆ MOCENICO

M. ANTONII F. PATRITIO VENETO.

LVDOVICVS FVLGINEVS S. P. D.

SOlebas perſæpe, Mocenice ornatiſſime, cum in hac urbe eſſes, ut philoſophiæ ſtudiis operã dares, me in iuris ſcientia comparanda laborantẽ perſæpe cohortari, ut hanc omitterem, cui neſcio quo meo fato ab ineunte ætate animum appulerã, & ea ſtudia ſequerer, quibus ipſe mirum in modum delectaris; quod quidem cum mecum ipſe reputaui ſum (ut ingenue, uereq́; fatear) aliquantulum perturbatus, quia meum hoc legum ſtudium tibi fortaſſe inane, ac penè negligendum uideri ex ea re intelligebam, optauiq́; ſemper, ut mihi aliquando opportuna ſeſe offerret occaſio, qua poſſem tibi non obſcuris argumentis declarare non modo non eſſe leuia ea, quæ à Iuriſconſultis traduntur, ſed maxime etiam generi humano utilia, & neceſſaria. Quamobrem cum mihi hoc tempore à Magnifico æquite Philippo Maynardo huiuſce Gymnaſii moderatore uigilantiſſimo demandatum ſit, ut eam orationem, quã habui ſu

perioribus diebus pro incitanda iuuentute ad ſtu dia literarum, in lucem proferrem, nolui uiro clariſſimo, cuius cauſa omnia & uolo, & debeo, non obtemperare; decreuiq; eam dicare tibi, cum mihi dicenti non adfueris, quem ego ob ſingularē uirtutem, moresq; ſuauiſſimos unicè diligo, & ob ſeruo, tum ut leues huiuſmodi fructus, qui poſ ſunt ab ingenii mei ſiccitate proficiſci, nomine tuo cohoneſtarem, tum etiam ut maximas iuriſ peritiæ laudes, quas potiſſimū mea oratione ſum complexus, tibi patefacerem. Accipe igitur læta atque hilari frōte, & perlege munuſculum, quod ab animo deuoto, & propenſo tibi defertur, ita .n. ſpero tè, licet ex elegantiſſima illa oratione Anto nii Riccoboni uiri eruditiſſimi, meiq; perneceſſa rii, quam unà mecum lectitare, & laudare ſole bas, omnia ferè intellexeris, quæ ad ipſius iuriſpe ritiæ laudes pertinent, ex hac mea eſſe etiam ali quid de eadem materia percepturum, ut non mo do tua de ſtudiis meis immutetur opinio, ſed etiā ut excitatus amore mirabili illius honeſti, quod unà cum legibus coniunctum eſſe ſenties, eos ali quando uirtutis fructus parias, qui à tè perinde expectantur, ut à maioribus tuis, qui prodiere ex

præclara familia Mocenica, ſemper ſunt orti, & oriuntur hoc tempore ab Illuſtriſſimo Cypri Archepiſcopo, ab ampliſſimis Senatoribus, & planè duobus Reipub. Venetæ luminibus Aloyſio, ac Ioanne patruis, & à clariſſimo patre tuo. Vale. Patauii Nonis Decemb. MDLXIX.

SI tale eſſet in me ingeniū, tāta dicendi facultas, Prætor (Præfectcq; Clariß. Magnifici Rectores, Ampliß. Patres, uoſq; ornatiß. adoleſcētes,) quale, quantūq; eſt deſiderium, quo ardeo huiuſce mihi delati muneris perficiendi, ſperarē certe me, qui huic lectiſsimæ iuuentuti gratificari uehemēter deſidero, tantū eniti dicendo, ut uobis omnibus ſatisfacerē. Verum quia meum eſt imbecille ingenium, tenue ſtudium, leuis exercitatio, nulla facundia uereor, ne cum iis rebus caream, quæ & honeſtiſsimo huic loco conueniunt, & à me fortaſſe expectantur, aliquid eruditis ueſtris auribus indignum proferam, & ea ratione neque ſuſceptam prouinciam pro dignitate adminiſtrem, neq; deſiderium meum expleam, uel ſi ipſe expleuiſſe exiſtimarim, id me minime eſſe aſſecutum homines arbitrentur: Quid enim poterat mihi per Deos immortales difficilius, quid grauius demandari, quam ut ego, qui nullum ante hoc tempus de me periculum fecerim, qui humaniorum literarum ſtudiis prætermiſsis me ad iuris prudentiam contulerim de ampliſsima materia orationem habiturus in eum locum aſcenderim, in quem ſummi, ac præſtantiſsimi uiri, iidemq; eloquentiſsimi aſcendere conſueuerunt? Quis in tanto, tam frequenti, tam celebri omnium ætatum, omnium ordinum concurſu animum non deſpondeat, quis de ſe ipſo non dubitet, quis deniq; non uehementer extimeſcat? Me certe (ut ingenue, uereq; fatear) quantum hortatur meæ erga hāc florentiſſimam iuuentutem beneuolentiæ, & obſeruantiæ ſignificatio, tantum deterret rei difficultas, quæ profectò me omnino ab hoc inſtituto dimouiſſet, niſi amplitudinem eorum, qui mihi aſsiſtunt, unà cum incredibili humanitate, & benignitate coniunctam eſſe meminiſſem, ſperaſſemq; fore, ut qualiacunq; à me proficiſcantur uos pro ingenij ueſtri facilitate attente audiatis, &, cum audiueritis, tranquillo, ac miti animo iudicetis. Hæc una cauſa me quaſi languentem excitat, animum, ac uires reddit, ut nihil ſit tanti ponderis, nihil tanti laboris, aut induſtriæ, quod ego pro officij mei cauſa non æquo, ac libenti animo ſuſcipiam, cum præſertim huiuſmodi officium requirentibus concedendo ignauum fortè, ac rudem, quam negando ingratum, parumq; maioribus meis obtemperantem me præbere longè melius eſſe & ego coniiciam, & alii facile pro comperto habeant. Videte igitur auditores, quid ego mihi de humanitate ueſtra ſim pollicitus: Suſtinete obſecro eam opinionem, quam apud me primo intuitu concitaſtis, ego enim uobis fauen-

tibus exigui temporis ſpatio propoſitam mihi materiam explicabo.
Eſt inueterata multorum annorum, ni fallor, conſuetudo, ut ſingulis an
nis iuuenum animi per intermiſsiones ſtudiorum aliquantulum relaxati
ex hoc locò hodierna die ad eadem ſtudia incitentur, atq; accendantur;
quod quidem conſilium bonum, ac laudabile eſſe fatendum eſt, ſi tamen
credamus eos, qui aliquando bonarum artium ſcientiam deguſtarint à tã
præclarò inſtituto deſiſtere, ut uirtutem negligant, & uoluptates ſectẽn-
tur, cum has ueluti fluxas, atque inanes nihil poſtremò niſi ærumnas, in
commoda, animiq; & corporis ægritudines, illam uerò æternam, atque
immortalem omnia bona & commoda hominibus afferre certò ſciant.
Equidem cerno iam animo ornatisſimi adoleſcentes uos ita eſſe ad ſtu-
dia literarum animatos, ut nihil accidere exiſtimem uobis ſpontè ad glo
riam currentibus, longa mea cohortatione ſtimulum ut adhibeam; Certos
igitur orationi meæ terminos conſtituam, &, ne ab aliorum more recedã,
duo in medium affero cõſideranda. Primum quanta ſit earum, quæ in hac
urbe diſcuntur, liberalium artium præſtãtia. Deinde uero quot incitamẽ
ta, quot commoda hoc præſertim tempore ad earum ſcientiam capeſcen-
dam habeamus, quæ cum uobis aperuero, extremam muneri meo manum
imponam. Tanta eſt copia ſcientiarum, quas permulti uiri clarisſimi
in hac urbe profitentur, ut, ſi uelim eas numerando commemorare, nedũ
laudare dicendo, me ſine ulla dubitatione dies ipſa deficiat; Quis enim, ſi
uoluerit omnium artium procreatricem, ac penè parentem philoſophiã
condignis laudibus decorare, integros in ea re dies non conſumat, neque
etiamnum finem faciat? Quis, ſi Mathematicem quaſi omnium ſcientia-
rum principium, Muſicem, quæ, cum animæ noſtræ reſpondeat, nonnihil
diuini continere in ſe credendum eſt, artem medendi, numerorumq;, &
menſurarum extollere decreuerit, id breui oratione perſtringat? Quis de
nique, ſi eorum, qui hæc huiuſmodi profitentur, Excellentisſimi Pendaſii,
præſtantiſs. Piccolhominei, doctiſſ. Cathenæ, aliorumq; complurium., quos
breuitatis cauſa prætereo, laudes attigerit, & in hoc diutius nõ uerſetur?
Nimis profectò hæc eſt ampla, & copioſa materia, quã ut ipſe pertractẽ ne
que meæ imbecillæ uires requirunt, neque tempus poſtulat, quod laudan
dæ legum ſcientiæ, cui & ego animum appuli, & plerique ueſtrum datis
operam, præfixum eſt. Quarum quidem præſtãtiam quomodo potero me
lius demonſtrare, quam ſi legem ipſã non ab humana imbecillitate, ſed à
ſumma diuini, ac ſempiterni numinis prouidentia originem trahere dixe-
ro, idq; duorum præſtantisſimorum oratorum teſtimonio comprobauero?

Demoſthenes enim, qui fuit apud græcos eloquentiæ pater, nihil aliud eſſe legem dicebat, quam inuentionem quandam, & donum Dei; Cicero uero, qui uberrimos aperuit latio theſauros eloquentiæ, eam eſſe affirmabat certam rationem è mente diuina manantem. Quòd, ſi rem uoluerimus diligenter inueſtigare, atque perpendere, quicquid hi clariſſimi uiri aſſeruerint uerum eſſe reperiemus, nam cum legem illam non ſcriptam, quæ ratio appellatur, & in ſingulis hominibus ſita eſt, conſiderabimus quidnam eſſe aliud dicemus, quàm munus à Deo Opt. Max. ſoli ex omnibus animantibus homini tributum, ut permulta commoda, quæ ipſi ſunt negata, beſtiis uero conceſſa hoc uno ſummoq;, & maximo bono compenſaret? Quod quidem huiuſmodi eſt, ut ipſum creaturarum omnium digniſſimum faciat, à beſtiis maxime differentem, Deo uero quam ſimilimũ reddat; Homo enim, qui ipſa ratione utitur, id, quod honeſtum eſt, ſequitur, fugitq; contrarium, neque ſicuti belluæ ſolent, ad id tantum, quod præſens eſt, ſe accommodat, ſed futura longè proſpicit, præterita reminiſcitur, principia, cauſasq;, & progreſſus rerum cognoſcendo de præſentibus ſapienter decernit, ſemper ſcire aliquid deſiderat, & ueri potiſſimum cognitionem aſſequi contendit: Hinc factum eſt, ut cum primi illi homines huiuſmodi legem mirificè obſeruarent ducti cupiditate honeſti, ideſt ipſius uirtutis, iuſtam, ſanctamq; uitam egerint, neque alter alteri iniuriam intulerit, cum tamen nullis uterentur domibus, nullisq; cuſtodiis, & nulla eſſet poſſeſſionum meta, nullus agrorum terminus, quo tempore nullum reperiebatur armorum genus, nullaq; erat diſſenſio, nullum bellum, neq; etiam ulla clauſa ciuitas, nullis muris circundata, nullis munita foſſis, nullo deniq; neq; uallo ſepta, neq; aggere, neq; uineis, neq; turribus; Omnia enim tuta erant, nemo uſurpabat, quæ ſibi ſocius comparaſſet, neq; delectabatur aliorum uel detrimento, uel iniuria; ſed tanta erat pax inter omnes, & tantus conſenſus, ut, cum non modo ullæ umquam non acciderent cædes, ſed ne mutua quidem conuicia, illa tempora beata dicta ſint, & ætas aurea, omniumq; fœlicisſima appellata.

Quid uero, ſi legem ſcriptam examinabimus, nonne ipſius rationis eſſe imaginem dicemus à ſapientibus uiris, & diuino numine afflatis uariis uoluminibus explicatam? Cum enim pleriq; homines paulatim legis ſibi à natura impoſitæ obliuiſcerentur, & pro labore deſidia, pro continentia, & æquitate libido, atq; ſuperbia, pro pudore audacia, pro abſtinentia largitio, pro uirtute auaritia uigere cæpiſſent prudentes uiri,

qui propter uaria hominum ſcelera facile poſſe ruere totum terrarum orbem animaduertebant, innumerabiles penè ſcripſerunt leges, quibus tum coercerent iniquitates per ſupplicia, & pœnas, quas conſceleratis hominibus minabantur, tum etiam propter præmia bonos ad uirtutem allicerent, atque hortarentur, ut homines eam ſequerentur uiam pœna deterriti, quam præteritis temporibus amore uirtutis ſequebantur. Ita accidit, ut, quicquid efficiebat natura inter homines, idem effecerit ars prudentum uirorum, qui & illud etiam ex ſcriptione legum ſunt conſecuti, ut, quod natura rude, atque informe procreauerit, id in certas formas, & particulares, (ut ita dicā) ſpecies diſtinctum reddiderint: neque enim tantum ſumma genera explicarunt honeſte uiuendum, nocēdum nemini, ſuum cuiq; tribuendum, ſed, quas Græci περιστάσεις *appellant, diligenter conſiderarunt cum quibus hæc ſeruari debeant, quo tempore, quo loco, & quo oporteat modo, ut nihil tam obſcurum, nihil tam dubium poſſit hominibus accidere, quod ipſorum ſapientum ſanctionibus exploratum, atque apertum non reddatur. Quamobrem in ijs ſolis ciuitatibus, in quibus leges iuſtè, ſanctèq; obſeruantur firma, ſtabilis, ac uera uirtus enitet, quæ homines reddit in re publica, & priuata prudentes, & iuſtos: in ſuſtinendis laboribus, & periculis fortes: in proſpera etiam fortuna temperatos; In his ipſis ciuitatibus tāta uiget pax, tanta conſenſio, ut, licet exiguas habeant copias, imbecilla præſidia, quia tamen inter ſe conſentiunt non modo ab inimica manu non offendantur, uerum etiam per multa, atq; innumerabilia ſæcula fœliciter durēt; Sicuti ſublata lege tollitur, atque extirpatur omnis humana ſocietas; nefarii enim homines non modo quærunt alios decipere ita, ut (quod ait ille comicus) ſit hō homini lupus non homo; Verum etiam apertè in alienas poſſeſsiones irruunt, atque omnibus, qui non ualeant armis diſceptare, uim inferunt, eosq;, quod peius eſt, occidunt, imo & parentes, pro quibus uitam, quam ab ipſis acceperunt, profundere debent, fratresq; etiam, qui ex eodem utero prodiere, iugulant immaniſſimi. Ita incipiunt homines, qui rationem p̄mittunt uarijs animi perturbationibus opprimi, beſtiarum moribus accedere, atque illis ſe ſe ſimillimos præſtare: Quid enim creditis ſibi uoluiſſe Homerum Poëtam apud Græcos præſtantiſſimum, cum Vliſſem, ac ſocios ipſius per mare uagantes fingit in Circeam inſulam deueniſſe, ibiq; eſſe à Circe detentos, ubi propter quædam pocula in uarias brutorum animalium formas mutabantur? nihil aliud certè, niſi, ut ſub fabularum nube demonſtraret homines appetitu ductos, & falſa quadam ſpecie uo-*

luptatis huiuſmodi uitijs infici, ut, qui ſe dederint gulæ, ac ſomno ſuis, qui inhoneſtis delicijs, & Veneri canis, qui iræ urſi, qui immanitati tigris, & qui aliis uitiis, aliarum etiam belluarum formas ſuſcipiant. Videte igitur, quid efficiant leges: Homines ad uirtutem hortantur, atque accedunt: à uitiis uero, & ſceleribus reuocant, & deterrent: præterea etiàm nos docent uenerationem Dei, pietatem in patriam, beneuolentiam, & obſeruantiam in parentes, in uxorem, filios, atque affines bonitatem, facilitatem uero, & iuſtitiam in omnes ita, ut hominem concilient homini, atque affinem affini, fratrem fratri, filium parentibus, ac deniq; inter omnes miram adhibeant conſenſionem, & pacem. Credo iam Auditores me id ſeruaſſe, quod primo loco eram pollicitus, uoſq; ex iis, quæ dicta ſunt, facilè cognouiſſe, quanta ſit Sacratiſſimarum legum utilitas, quanta præſtantia: Sequitur modo, ut quàm facilis, quàm apertus nobis ſit ad earum ſcientiam obtinendam aditus, uobis patefaciam. Si urbem conſideramus, eam profectò nobis eſſe gratiſſimum, ſtudiiſque noſtris apprimè aptam fatebimur: neque ſolum quia ſit antiquiſſima, & nobiliſſima: quia amæna: quia omnibus rebus abundans; ſed quia potiſſimum paret ditioni Venetorum, Sacroſanctæ illi Reip. quam in mediis aquis Adriatici ſinus à Summo Opifice Deo Opt. Max. conſtitutam eſſe credendum eſt, ut una eſſet ciuitas, flos Italiæ, ornamentum Europæ, & orbis terrarum theatrum ampliſſimũ, in quam boni uiri ſe conferrent, quam incolæ amarent, ſubditi diligerent, exteræ gentes ſuſpicerent, barbaræq; etiam nationes admirarentur: nempe quia ipſa libera, chriſtianaque orta eſt, & conſeruata, atq; ut aliæ etiam ciuitates in libertate, & cultu diuinæ religionis conſeruarentur auctrix ſemper fuit, ut libertatis, & religionis propugnaculum, ſapientiæ ſpeculum, iuſtitiæ, fideique exemplar iure & merito appellari poſſit. Quam obrem non eſt mirum omnes populos fælicius ſecum eſſe actum exiſtimare, quod optimæ huic Reip. pareant, quàm quod multis præclaris urbibus dominentur; Tantam enim eſſe Venetorum in iis gubernandis lenitatem, facilitatemque eſſe intelligunt, quanta poteſt ullibi in chriſtiano Principe reperiri, quod ſi ullæ ſenſerunt ciuitates, ſi umquam expertæ ſunt, nunc certè ſentit, nunc experitur hæc urbs Patauina, quæ uigilantiſſimos nacta eſt ſui gubernatores uiros clariſſimos, & ſenatores ampliſſimos Iacobum Superantium Aequitem Mag. Prætorem, Præfectum uero Franciſcum Bernardum, quorum ſummam prudentiam ipſis tum à natura tributam, tum bonarum artium ſtu-

diis

diis auctam, longoque rerum uſu confirmatam, ſingularem iuſtitiam, incredibilem humanitatem unà cum graui quadã uenuſtate coniuncta, quæ in ipſorum etiam uultu iucundiſsimo elucet, quid eſt, quod ego uobis ex hoc loco commemorem, cum hæc, atque alia præclara ornamenta toti iam ciuitati ſint aperta, & cognita, famaq; eorum nominis non in his Italiæ terminis ſit conſtituta, ſed totum iam terrarum orbem peruagetur? Illud certè, quod nos ipſi ſumus experti, præterire nullo pacto poſſum, quod hi Senatores ampliſſimi uniuerſam noſtram Academiam tanta beneuolentia, uel potius pietate ſunt complexi, quanta poteſt non à nobiliſſimis uiris, non à Prætore, Præfectoq; integerrimis, ſed à pientiſſimis patribus expectari, tantumq; ſibi animos omnium conciliarunt, ut nihil tam difficile, nihil tam arduum nobis proponi poſſit, etiam ſi uita ſit profundenda, quod pro eorum meritis non æquo, ac libenti animo ſubeamus. Demonſtrant Prætor ampliſſime innumerabiles penè legationes, quas pro Celeberrima tua Rep. ſubiſti, declarant Præfecte clariſſime per multi magiſtratus, quos honorificentiſſime adminiſtraſti, quanta ſit animi ueſtri magnitudo: at nullus unquam honos, nullus dignitatis gradus tantam uobis laudem attulit: licet aliquando dubitem, an ueſtra laude ulla maior poſſit comparari; quantam ſingularis hæc ueſtra erga bonarum artium ſtudioſos propenſio eſt allatura, quam amabunt omnes, laudabunt, prædicabuntq; noſtra tempora: quin imò & poſteritas aliquando audiet, & uirtutem ueſtram iam immortalitati commendatam conabitur, quantum poterit, imitari.

Si gymnaſium reſpicimus, id quidem cum celeberrimo illo Athenienſi, cuius laudes omnes hiſtorici celebrarunt, conferendum eſſe cognoſcemus, quod quidem uel ex eo facile percipi poteſt, quod non ſolum ex iis ciuitatibus, quæ ſunt Venetorum Imperio ſubiectæ, & ex tota Italia, ſed ex Gallia, Hiſpania, Germania, Polonia, atque ex aliis intimis orbis terrarum regionibus adoleſcentes propè innumerabiles in hoc Patauinũ gymnaſium, tamq̃ ad mercatum bonarum artiũ, concurrunt, quia ipſum Pariſienſi, Bononienſi, Papienſiq;, atq; aliis omnibus gymnaſiis præferunt; neque certè immeritò: ubi enim locorum tam diligens reperitur Gymnaſii adminiſtratio, ubi tanta excellentiſſimorum Doctorum copia? Habemus enim gymnaſii noſtri moderatorem uirum præſtantiſſimum, Aequitemq; Magnificum, & ſplendidiſſimum, quem honoris cauſa nomino, Philippum Maynardum Foroiulienſem de Cadubrio, cuius laudes, ut eſt æquum, commemorando eas à familia, patriaq; commendatio

ue exordirer, niſi me duæ rationes dehortarentur; Primum quia ea, quæ ſunt in patria Foroiulienſi omnium honeſtisſima ſumma laude digna, conſequi dicendo nullo pacto poſſum; cum ea multis de cauſis ſit inſignis, & eo potisſimum nomine numquam ſatis posſit celebrari, quod uiros proferat, ſi ſtud a literarum ſpectes, eruditisſimos, ſi arma reſpicias, ita fortes, & ſtrenuos, ut, cum nullum periculum timeant: cum uitam, ſi opus fuerit, libentisſime profundant, eorum uirtute maxime omnib. proſint, & ætati nostræ decus, patriæ ornamentum, familiæ uero, ac ſibi ipſis gloriam immortalem acquirant; Deinde uero quia uenit mihi in mẽtem præstantisſimum uirum non à maiorum gloria pendere, ſed eſſe propria uirtute clarisſimum. Tantam igitur ipſius eſſe animi magnitudinem affirmare debeo, quanta poteſt ab ingenuo homine deſiderari, prudentiam uero, & uigilantiam eiuſmodi, ut, quos cum eo conferam, paucos habeam, quem uero præponam mea quidem ſententia neminem; Habemus etiam Vicarium, & Sindicum præſtantisſimos, Conſiliarios quoque oẽs lectisſimos, atque in huiuſmodi oneribus ita uerſatos, ut, cum ab ijs nihil, niſi bonum rectumq́; , procedere ullo modo posſit, Patauinum Gymnaſium, quod ſuperioribus annis ex ſe celebre fuit, his additis tàm prudentibus gubernatoribus celeberrimum futurum ſit; cum ipſum etiam exornent permulti, ijq́; Excellentisſimi Doctores, qui, ueluti fulgentisſima ſidera, non urbem Patauium modo, ſed totum iam terrarum orbem illuſtrant: de quorũ laudibus, quia multa ſuppetunt, dicerem complura, ſi plus mihi temporis ad dicendum concederetur; Verum quia uehementer timeo, ne abutar patientia ueſtra, quam in me attentè audiendo adhibere uoluiſtis, licebit in præſentia uiros clarisſimos, quos laudare, atque ad cœlum extollere & ego conarer, & omnes deberent, tantummodo commemorare, ut ex huiuſmodi recordatione, quam uobis eſſe gratisſimam certo ſcio, animi omniũ recreentur. Habemus itaque Iuriſconſultum Celeberrimum Marcum Mantuam Benau. dium Patauinum Comitem Palatinum, qui per multos annos in hoc Patauino Gymnaſio ius Ciuile interpretatus eſt tanta auctoritate, tantoq́; iuuentutis concurſu, ut multi ex longinquis orbis terrarum regionibus ea potisſimum ratione Patauium ſe contulerint, ut ipſum, quaſi alterum Papinianum, de iure ciuili ratiocinantem uiderent, & audirent. Quamobrem non ſine cauſa complures affirmant omnes penè Doctores, qui hoc tempore uiuant, uel Clarisſimi Mantuæ doctrinam, quaſi nectar ſuauisſimum, imbibiſſe, uel ab eodem ipſo accepiſſe Doctoratus inſignia, ut nulla ſit tam inculta regio, quæ aliquam habeat bona-

rum

rum literarum cognitionem, ubi ipſius nomen non uigeat, ubi non celebretur, ac laudibus ad cælum extollatur, quod quidem ſicuti ipſi uiuenti contigit, ita etiam mortuo continget; nam uir clariſſimus non tam ex perenni ædificio, ex Gymnaſio elegantiſſimo, quæ duo maximis ſumptib. confecit, ex pulcherrimo monumento, quod ſibi ipſi poſuit, quam ex ijs, quæ & elegantiſſimè, & prudentiſſimè ſcripſit, ſibi gloriam immortalem comparauit. Habemus præterea Ioannem Cephalum Ferrarienſem uirum Excellentiſſimum, cuius præclaram doctrinam; præterquam quòd facile declarant doctiſſima ipſius Conſilia in lucem edita, quæ, cum maxime laudentur, in manibus omnium uerſantur; ex eo etiam poſſumus apertè cognoſcere, quod, cum in patria nobili loco natus eſſet, ibiq; honeſtè uiueret; & ab omnibus, præcipuè uero ab ipſius Principe plurimi æſtimaretur, inde euocatus eſt, & Papiam ductus, ut ius ciuile profiteretur, ac denique in hoc Patauino Gymnaſio honorificentiſſimè collocatus, ubi propter incredibilem humanitatem, quæ ipſius eſt præcipua, ita charus eſt omnibus, & iucundus, ut ab ipſo Cephalo, tamquam à capite, (nihil enim aliud hæc græca uox denotat) nos omnes, quaſi membra, pendere neſcio quo modo uideamur. Habemus Tiberium Decianum Foroiulienſem uirum præſtantiſſimum, qui, cum profundiſſimos iuriſprudentiæ fontes poſſideat, ita ſtudioſis omnibus ſatisfacit ingenij acie, iudicij præſtantia, copiaq;, & grauitate dicendi, ut quicquid ipſi uelint conſecutos ſe eſſe exiſtiment, nihil præterea cupiant, nihil deſiderent. Habemus Vidum Pancirolum Regienſem Doctorem certe eruditiſſimum, qui; cum coniunxerit iuriſperitiam unà cum Romanæ linguæ elegantia, & ſuauitate quadam ſermonis, quæ homines allicit ad audiendum, mireq; delectat, & iuuat; cum omnes penè libros tum priſcorum, tum recentiorum, qui hiſtorias conſcripſerunt, diligenter perlegerit, tantã habet reip. gubernandæ, conſeruandæ pacis, belliq; gerendi cognitionem: ita nouit & mores principum, & priuatorum ingenia, ut, quia ſciret regnum optimè gubernare, ſibi illud Marci Por. Catonis comparaſſe uideatur, quem eloquentiſſimum Oratorem, prudentiſſimũ Iuriſconſultũ, uigilantiſſimũq; Imperatorẽ fuiſſe memoriæ proditũ eſt. Habemus Excellẽtiſſ. Ruggeriũ, & Manticam, quorum tot, tantæq; ſunt laudes, ut, ſi uelim de iis uerba facere, neq; unde incipiam, neq;, ſi incæpero, ubi finem faciam ſatis exploratum habeam. Non tacebo hoc loco eos, qui Ius Canonicum interpretantur, Menochium, Fabianum, Quarant'Ottum, Rutiliumq;, ac Thealdinum, quorum egregia ornamenta melius eſſe exiſtimo ſilen-

tio præterire, quam propter breuitatem temporis pauca dicere; Neque etiam tacebo eos, qui Iuſtinianicas inſtitutiones explicant accutiſſimum Montagnanam, doctiſsimum Monticulum, Excellentem Caſtellionum, quorum tantam eſſe doctrinam fateri poſſum, tantamq; in ea explicanda facilitatem, ut tyrones, qui,cum primum hanc legum ſcientiam aggrediuntur, ſolent de ſe ipſis dubitare, & animum aliquando deſpondere his auditis clariſsimis Doctoribus opus,quaſi deſperatum,forti animo perſequantur; Addam etiam illos, qui tum ea, quæ ad crimina pertinent, interpretantur: tum elegantiſsima Bart. ſcripta diligenter examinant, Seluaticum, Bottonum, Soatium, Godium, Terentium deniq;, & Sfortiam,ut, cum tantam eſſe Doctorum copiam cognoueritis, hanc legum ſcientiam, quam tanti eſſe æſtimandam demonſtrauimus, tam præſtanti ingenio præditi, tam opportuna ætate uehementer adametis, atq; in ea acquirenda toto pectore elaboretis; Cum præſertim maximam ſubſtineamus auctoritatem urbis, quæ ſicuti olim Athenæ, omnium bonarum artium procreatrix poteſt appellari; cum permultos fautores noſtri ſtudioſiſsimos habeamus, præcipue uero illa ciuilis prudentiæ lumina, quæ Almum Patauinum Collegium conficiunt, eos inquam celeberrimos Iuriſconſultos, quos uerè patres poſſum appellare, qui ingenij noſtri fructus, quaſi ex quadam ſpecula, hilare expectant, ut,cum eos pro ſingulari ipſorum bonitate, & humanitate æquo, leniq; animo iudicarint, nos laurea laboribus noſtris condigna exornent; cum deniq; ea nobis ſint propoſita præmia, quæ ſunt omnium maxima uel ad gratiam, uel ad opes, uel ad dignitatem. Certò equidem ſcio omnes, ſi aliquando recordentur, quo conſilio in hanc urbem ſe contulerint, cur abſint à patria, à parentibus, & affinibus; ſi iucundum finem memoria repetant, mirabili amore ſtudiorum excitari. Quæ cum ita ſint, curandum eſt (lectiſsimi iuuenes) hæc una cogitatio nobis ſit intimis cordis penetralibus affixa, ut uehementer elaborando, atq; omnes neruos contendendo honeſtum finem, quem nobis ipſis propoſuimus, fœlicibus auſpiciis conſequamur, ne, ſi aliter fecerimus,in proprio commodo tardi,ac negligentes fuiſſe uideamur.

FINIS.

Z
10348

39 956729

1034.8